

FACULTATIS MEDICÆ
IN PERANTIQUA ELECTORALI AD
HIERAM ACADEMIA
DECANUS ET SENIOR,
D. JOH. ANDREAS
FISCHER,

Professor Medicinæ Primarius & Medic.
Provincial. Ducal. Isenacens.

Lectori Benevolo

S. P. D.

IPSIQUE PROGRAMMATE HOC INAUGURALI
DEGUSTANDUM

PROPONIT.

OSCULUM MEDICUM.



ERFORDIÆ,

TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,
TYPOGR. ACAD.

Diaetet.

154,18

70



Nter voces mutas diversis ani-
 mantium, hominis præcipue,
 desiderii declarandis inservi-
 entes, quas velut signa natura-
 lia certos animæ sensitivæ æque
 ac rationalis motus significan-
 tia, & hominum & brutorum generi ad sermo-
 nis l. defectum l. denegatum usum compensan-
 dum indidit sapientissimus rerum Creator, haud
 postremum locum merentur oscula: Oscula,
 gratissimum illud amoris sinceri vectigal, reve-
 rentiæ, gratitudinis, officii, debitum liberale,
 quod persolvimus, dum illos, qui nobis aut
 sanguine sunt conjuncti, aut de nobis præclare
 meriti, & observamus, & colimus, & diligimus.
 Merito igitur nefandi increpandus probri pesti-
 mus mortalium nebulo, & ingrati discipuli ex-
 emplum nobile Judas, qui in passione Domini-
 ca,

ca, cujus nunc memoriam acerbissime lugen-
tes recolimus, svavi hoc Amicitiae signo ad si-
gnificandum odium abusus, quem servare de-
bebat Servatorem dulcissimum, osculo prodi-
dit: Monstrum hominis, morte monstrosa
merito multandum. Scilicet grande hoc scelus in-
dignata Natura, animam istius scelesti non per os
fraude & impietate spumans emigrare passa est;
quin potius perditam grandi Ventris hiatu facto
una cum visceribus in terram profundere molie-
batur. Non vero soli generi humano mutuis
ludere osculis datum est; sed & affectum hunc
æmulantur animantia bruta utcumque vel labiis
l. sphinctere oris destituta, quando nunc lam-
bendo, nunc blandiuscule mordendo, nunc
mirifica Capitis adulatione blandiendo occul-
tum exprimunt amorem, sibi que homines con-
ciliare student. Omnium vero maxime effica-
cia hujus signi in genere humano sese conspici-
endam præbet, idque pusionibus in utero jam
tum materno videtur implantatum, quippe qui
Parentum suorum ori admoti osculo suo hoc ar-
tissime complectuntur & exosculantur. Atque
hinc nulla gens est tam barbara, tamque ab o-
mni humanitate remota, quæ non hunc oscu-

landi morem à teneris fervet & observet: Siqui-
dem, referente Dappero Exotic. Curios. p. 657.
& Insulæ Africanæ Sokotera Incolæ, cæteroquin
ad instar pecudum viventes, hospiti- bus adve-
nientibus suum amorem lætitiãque signifi-
caturi, eorum humeros osculari traduntur. De
cætero litem istam Philologicam, quã oscu-
lum officii, basium affectus, svavium libidinis
esse volunt, nostram nunc non facimus, cum-
primis probe scientes, quod Lipsius ille ^{ὁ μίγας}
contrarium statuatur: quin potius de insigni os-
culorum usu Medico notatu quædam digna in
præsentiarum delibabimus. Videlicet experi-
entia multiplici constat, mulieres partu difficili
laborantes inter castos mariti amplexus & oscu-
la ingeminata, haud cunctanter peperisse, at-
que purgamentis fœmineis post enixum fœtum
moras diuturniores necentibus, aut animi de-
liquiis urgentibus, easdem præstantissimo hoc
Cardiaco mirifice fuisse refectas, & a præsen-
tissimo interitu vindicatas: Halitu enim mari-
ti perbelle sani grato recreatæ, & a fermento
salivæ spirituosò elastico ad novos exerendos
nisus aptæ redditæ, excernenda extra œcono-
miæ vitalis confinia, exturbata fuere protinus,
&

& spiritus vitales pristinum robur acquisivere.
Ut taceamus oscula Parentum vel Nutricum, ef-
ficacissimum sæpenumero infantilium morbo-
rum existere remedium, quando torminibus,
convulsionibusve excruciatibus basia egregie pro-
fuisse compertum est. Quippe anima benevolen-
tiæ & misericordiæ Ideis sopita, doloribus pen-
sitandis haud usque adeo indulget, unde placi-
do spirituum animalium influxu partium affli-
ctarum fibræ demulcentur, suavisque sopor
obrepit. Latissimus hic pateret campus de Sa-
livæ miraculis differendi, sed angustia chartæ &
instituti ratio vetat, quo minus nunc vagemur
extra oleas, quando constitutum est.

Nobilissimi atque Clarissimi

DOMINI

**JOHANNIS FRIDERICI
ERMELII,**

Grimmensis-Misnici, & Medicinæ Baccalaurei
dignissimi, cui de Osculorum in mentibus ho-
minum alienandis efficacia p. n. differere inau-
guraliter propositum est, orbi erudito recensere

)(3

Vitæ

Vitæ curriculum. Igitur natus est noster Grima-
mæ, Circuli Misnici urbe Schola illustri Pro-
vinciali Saxonica celebri, XI. Kalend. Julii Anni
M DC XCVI. Patre clarissimo Viro Præcellen-
ti Domino M. Georgio Ermelio, laudati Gym-
nasii Rectore meritissimo, Matre honestissima
Dorothea Huhnica existente. Quorum
Parentum honoratissimorum sedula eò
invigilavit cura, ut filiulus dulcissimus quam
primum fundamentis Pietatis & Latinitatis in
Ludo oppidano initiaretur. Ætate vero & pro-
fectibus adultiore facto, operam dedere, ut
Gymnasticas frequentaret lectiones usque ad
annum M DCC XV. Quo anno Candidatus
noster humanioribus studiis haud perfuncto-
rie tinctus ad celebratissimam Academiam Li-
psiensem, artium & scientiarum mercaturam fa-
cturus, migravit, Magnifico Maximeque Re-
verendo Domino D. Johanne Schmidio S. S.
Theologiæ Professore Publ. Ord. Sceptra Aca-
demica tenente, ubi primum lectiones Philo-
sophicas & Oratorias Excellentissimorum Pro-
fessorum, Domini Godof. Polyc. Mulleri Do-
mini D. Lehmanni, & primo loco nominandi
Magnifici Domini Rectoris frequentare cœpit.
Qui-

331 V

331 V

Qui-

Quibus rite absolutis ad studium Medicum se-
se contulit, usus privata opera Excellentiss. Dni D.
Schacheri Physiol. P. R. celeberrimi; Domini D.
Milii, & Domini D. Pezoldi, publice vero
prælectionibus Magnifici Domini D. Rivini,
Professorum Lips. primicerii & Prænob. Dni.
D. Ettmülleri, quem Nosocomium aliquoties
hebdomatim visitantem assidue comitatus est,
sedulam navavit operam. Tandem in Praxi
Clinica experientissimo Dno D. Seylero se con-
credidit, cujus etiam benevolentiam fidemque
prædicat mirifice. Exantlato sic studio Medico
non nisi testimonio publico stipatus & honora-
rior domum redire decrevit, eo fine sibi eligens
per antiquam nostram Hieranam, quam provin-
de nuperrime adiit, enixe rogans, ut a Facul-
tate Medica & Candidatorum Numero infere-
retur, & ad supremos in Medicina honores ad-
mitteretur. Voti sui damnatus in Examinibus
consuetis præsentissimo fuit animo, in judican-
do promptus, ad respondendum paratus, ita ut
ipse responsiones velut ex Manica, quod dicitur,
excutere videretur. Superest ut etiam publice
suam scientiam Medicam dissertatione Inaugu-
rali, de Osculo vim Philtri exferente castina
die Lunæ, quod DEus clementer faxit habenda
de-

declaret omnibus. Quapropter ad hunc a-
etum disputatorium solennem honorifica sua
praesentia condecorandum, Magnif. Dominus
Rector, Universitatis Proceres, omnesque Me-
dicinae fautores, officiose & perquam huma-
niter hisce invitantur. P. P. sub Sigillo Fa-
cult. Nostr. die 26. Martii A. O. MDCC XIX.



Handwritten note: Staat V 54/18